UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

43. An puer sit vngendus Sacramento sub conditione quando dubitatur, si habeat vsum rationis? Et quid si dictus puer recepisset Sacramentum Pœnitentiæ etiam sub conditione? Ex part. 3. tr. res. 168. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-76405

Visual Library

RESOL. XLII.

An Parochus, ſi cognoſcat per confeſſionem puerum nunquam actualiter peccaſſe, teneatur miniſtrare illi Extremam-Vnctionem? Ex part. 3. tr. 4. Reſ. 180. aliàs 181.

§. 1. NEgatiuam ſententiam mordicus tenet Didacus Nugnus *in 3. part. tom. 2. quæſt. 32. art. 2 diffic. 2.* & in terminis Ioannes Sancius *in ſelectis, diſp. 27. num.* 18. quia qui nunquam peccauit, ſubiectum habile non eſt, cuius reſpectu forma vnctionis verificari valeat. Nam qua ratione verè dici poteſt, *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti.* &c. reſpectu illius, qui nec peccatum, nec peccati reliquias habet, cùm nulla vnquam labe fuerit infectus? Ita Sancius.

2. Sed mihi contraria opinio magis placet. quam tuetur Suarez *tom. 4. diſput. 42. ſect. 2. num.* 10. quia in hoc caſu infirmus indigebit Sacramento Extremæ-Vnctionis ob robur acquirendum aduersùs tentationes & ad ſuperandam triſtitiam ex infirmitate manantem, & accipiet gratiam, qua perfectius ad ingreſſum glorię præparetur. Et ita hanc ſententiam ex multis aliis rationibus præter Suarez tenent etiã Villalobos *in ſumma, tom. 1. tract. 10. diffic. 4. num. 7.* Pitigianus *in 4. ſent. tom. 2. diſt. 23. q. vnica. art. 5.* Reginaldus *in praxi tom. 2. lib. 28. cap. 11. num.* 69 Filliucius *tom. 1. tract. 3. cap. 4. n.* 108. Coninch *de Sacram. diſp. 19. dub. 7. num. 23.* Henriquez *lib. 3. cap. 11. num. 3.* & alij.

3. Vnde apparet immerito hanc ſententiam falſam à Nugno fuiſſe vocatam. Reſtat modò reſpondere ad argumentum Sancij, quòd forma non falſificatur in tali caſu, dicendo, *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti*; nam hunc ſenſum facit, Imponendo tibi gratiam ſacramentalem de ſe remiſſiuam peccati, ſi fortè adſit, ſicut qui in ſacramento Pœnitentiæ abſoluit quempiam iam contritum, nam illa verba, *Abſoluo te à peccatis tuis*, ſenſum reddunt, Impono tibi gratiam remiſſiuam peccatorum. Vide Coninch. *de Sacram. diſp. 4. dub. 4. num. 59. & 60.* Filliucium *vbi ſuprà*, & alios.

RESOL. XLIII.

An puer ſit vngendus Sacramento ſub conditione, quando dubitatur, ſi habeat vſum rationis?

Et quid, ſi dictus puer recepiſſet Sacramentum Pœnitentiæ etiam ſub conditione? Ex p. 3. tr. 4. Reſ. 168 alias 169.

Sup. hoc in Reſ. 1. poſt ſeq. curſim in §. vlt. & ſupr. in. tr. 2. Reſ. 90. §. 1. in fine

§. 1. AD hunc caſum ita reſpondet Zambranus *de caſibus occurrentibus tempore mortis, cap. 1. dub. 1. num. 7.* Credo dandam eſſe Extremam-Vnctionem ſub conditione, quando de puero dubitaretur, an haberet vſum rationis ſufficientem ad ſacramentum Pœnitentiæ; licèt in tali caſu dubij de vſu rationis, videatur eſſe tutius non dare vnctionem, quando dictus puer non poſſet recipere ſacramentum Pœnitentiæ ſub conditione; quamquam non ſit omninò improbabile etiam tunc poſſe dari vnctionem, ſub conditione ſcilicet, Si es capax, propter maximam eius vtilitatem, & fructũ in tali articulo mortis, quem ſummopere refert feliciter concludere. Ita ille ſed tu abſolutè, & ſine vllo timore dabis Extremam Vnctionem ſub conditione Et ita docet Sancius *in ſelectis, diſp. 28. num.* 17. qui omnino videndus eſt.

RESOL. XLIV.

An pueris danda ſit Extrema Vnctio, ſi non ſint capaces Sacramenti Euchariſtiæ, ſed tantum Pœnitentiæ?

Et aſſeritur in articulo mortis pueris doli capacibus, & aptis confiteri dandum eſſe Viaticum? Ex part. 3. tr. 6. & Miſc. 2. Reſ. 89.

§. 1. NEgatiuè reſpondet Sotus *in 4. ſentent. diſt. 23. quæſt. 2. art. 2. colum. vlt ver. ſi quæras* Viualdus *in candel. aur. de Extrema-Vnct. cap. de ſuſcipien. num. 7.* & quidam doctus neotericus, aſſerentes pueris dandam non eſſe Extremam-Vnctionem, niſi in ea ætate, & diſpoſitione ſint, vt etiam ſacrum Viaticum accipere poſſint, & hoc multis in locis conſuetudine obſeruari.

2. Sed aduersùs dictam conſuetudinem, & DD. opinionem inſurgit, & meritò Melchior Zambranus *de caſ. occur. temp. mor. cap. 5. de Extrema-Vnct. dub. 1. per totum.* & DD. quos ipſe citat, quibus ego addo Layman *in Theol. moral. lib. 6. tract. 7. cap. 4. num. 2.* & Ludouicum de San Iuan *in ſumma, tom. 1. de ſacram. Extrema Vnct. quæſt. vnica, art. 6. dub. 3. concl. 3.* vbi ſic ait. [Para recebir la Extrema-Vncion no es meneſter que el niño llegue à edad de recebir el Sacramento de Euchariſtia, comò pienſa vn Author moderno, aunque muy docto, porque para recebir el Sanctiſſimo Sacramento del Altar, es meneſter mucha mas diſcrecion, que para la Penitencia, y Extrema-Vncion.] Ita ille; licet aliqui DD. probabiliter etiam doceant pueros in articulo mortis, qui ſunt capaces ſacramenti Pœnitentiæ, eſſe capaces ſacramenti Euchariſtiæ.

3. Dicendum eſt igitur omnibus pueris capacibus ſacramenti Pœnitentiæ, atque adeò omnibus poſt ſeptennium, niſi conſtaret carere vſu rationis, dandam eſſe Extremam-Vnctionem, licèt non recipiant, nec ſint idonei ad recipiendam Euchariſtiam.

4. Verùm non deſinam hic adnotare, quod plures DD. aſſerunt, in articulo mortis, pueris doli capacibus, & aptis confiteri dandum eſſe Viaticũ. Ita Tannerus *in 3. p. diſp. 5. q. 6. dub. 5. n.* 116. Henriquez *lib. 8. c. 42. num. 4.* Armilla *ver. communio, num.* 10. Caietanus *ver. miniſter communionis, in fine.* Salas *de legibus tr. 14. ſect 13. n.* 127 Reginaldus *tom. 2. lib. 10. n. 81.* Suarez *tom. 3. diſp. 7. ſect. 1. in fine.* Nugnus *in 3. part. quæſt. 80. art. 9. diffic. 2. ad 3. argum.* & ego alibi.

RESOL. XLV.

An pueri tunc in articulo mortis ſint vngendi, quando ſunt capaces Sacramenti Euchariſtiæ?

Et notatur, quod ſi dubitetur puerum habere vſum rationis eſſe adhuc ſub conditione vngendum? Ex part. 5 tr. 3. Reſ. 85.

§ 1. SOtus *in 4. diſt. 23. quæſt. 2. art. 2.* & Viualdus, teſte Hurtado *de Sacramento Extremæ-Vnctionis, diffic.* 10. affirmatiuam ſententiam docuerant, ſed ipſe ibi meritò, ſententiam negatiuam docet quia, ait ille, ad excipiendam Extremam Vnctionem non requiritur tanta diſcretio, quanta ad receptionẽ Euchariſtiæ, ſed ſufficit illa quæ ſufficit ad receptionem ſacramenti Pœnitentiæ, cuius Extrema-Vnctio eſt conſummatiua. Et ita docet etiam Baldellus *tom. 1. lib. 5, diſp 30 num.* 16. & Ioan. Præpoſit. *in 3. part. quæſt. vnic. de ſacram Extrema-Vnctionis, dub. 7. n.* 57. vbi

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN